

pationem realem inferret, illusisset revera Reformatis. Notorium enim est, eos talem nunquam approbavisse, neque (etsi optandum serio) approbaturus esse. Ubi vero aliquid ponere vult, quod etiam noverit approbaturus esse Reformatos, necesse erat, sumere vocabulum SALTEM in sensu posteriore, & sic revera nostris Ecclesiae illudere visum, quasi nos statuamus talem communicationem Idiomaticum, *quae mera & nuda sit conjunctio vel naturarum, vel proprietatum*, ita ut neutra aliquid alteri tribuat, largiatur & communicet ad usurpationem & exercitium, quod tamen nostris nunquam in mentem venire potuit, quibus ex verbo DEI perspectum est, *communicationem majestatis & idiomaticum in genere* in F. C. propositam, esse *coeleste depositum*, & non negligendum aut adeo leviter habendum. Cum itaque τὸ SALTEM adeo frequenter repetatur in locis supra allatis & semper dicatur esse *communicationem SALTEM secundum ἔνωσις*, id est, *nihil aliud, quam conjunctionem*, fucus revera & fumus nobis & ipsis Reformatis offertur, quod fieri non debebat.

§. XI. Deinceps admitti non potest, quod Allocutor semper τὸ COMMUNICARI & IUNGI, idque promiscue, pro Synonymis adhibeat, & sic Reformatorum sententiae blandiatur, quibus id, ut vidimus, saepius in more est. Nostris non ita est receptum, ob rationes gravissimas antea allatas. Unde etiam ferri nequit, ubi dicitur, *Communicationem Idiomaticum & unionem aliis saltem terminis florere, communicationem illam esse junctionem, revera nihil aliud esse, quam unionem personalem*. Quod postremum, si unionem personalem recte caperet, admitteremus, ubi vero unio nihil aliud ipsi est, quam *sola conjunctio*, vineta nostrae Ecclesiae caedit. Nec illum juvat, *nostrates cum ipso monere, communicationem Idiomaticum ratione rei idem esse ac unionem personalem*: Si enim haec recte intelligatur, nihil est, quod hic desideres. Nam revera respectu rei ipsius unio personalis in toto suo complexu est ipsissima tum naturarum & idio-